



[illegible]

[illegible]

Ab [illegible]

[illegible] Jahr 1800.

[illegible] Januari[illegible]



BONI CHRISTIANI PIUM EXERCITIUM

FORMULAS
DEUM COLENDI,
BEATISSIMAM DEI MATREM,
ANGELOS CUSTODES, SANCTOSQUE IN SALUTIS NEGOTIO INVOCANDI
CONTINENS.

Cum permiſſu Superiorum

IMPRESSUM.

LEOPOLI
ANNO DOMINI 1800.
TYPIS PILLERIANIS.

INCITAMENTA AD ORANDUM.

Petite & dabitur vobis: quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis, omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur. Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei? aut si piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus, se? Math. C. 7mo.

Gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus prope eſt. Nihil ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Jesu. ad Corint, Cap. 7mo.

PRIMI COGITATUS
BONI CHRISTIANI E SOMNO EVIGILANTIS.

Benedicta ſit ſancta, & individua Trinitas: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Benedictus es Domine Deus in firmamento cæli, & laudabilis & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Gloria tibi ſvaviſsima, dulciſsima, benigniſsima, imperialis, excellentiſsima, fúlgida, ſemperque tranquilla Trinitas, pro roſiis vulneribus Jesu Chriſti, & acerbiſsimis doloribus amabiliſsimæ Genitricis ejus Mariæ Virginis, & omnium famulorum famularumque tuarum afflictionibus meorum unice electorum amatorum. Amen.

Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Qui paſſus eſt pro nobis Jesu Chriſte, miſerere nobis.

Jesu in vulnera tua abſconde me.

O! bone Jesu, laudo te, & quod mihi in tua laude deeſt, tu ſolus digneris ſupplere pro me.

O! bone Jesu amo te, & quod mihi in tuo amore deeſt, tu ſolus digneris ſupplere pro me, Deoque Patri amorem Cordis tui digneris offerre pro me.

Benedicta ſit ſancta, & immaculata Conceptio Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

AFFECTUS
MANE ET SOEPE ETIAM PER DIEM ELICIENDI.

Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: ponere in Domino Deo ſpem meam.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus.

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Deus Cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Deus in adjutorium meum intende Domine ad adjuvandum me festina.

AD PULSUM CAMPANAE.

Angelus Domini nuntiavit Mariæ & concepit de Spiritu Sancto. Ave Maria &c. &c.

Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria gratia &c. &c.

Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ave Maria &c. &c.

Ora pro nobis sancta Dei Genitrix: ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Gratiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde, ut qui Angelo

lo nuntiante Chriſti Filii tui Incarnationem cognovimus per paſſionem ejus, & crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

AD SONITUM HOROLOGII.

Benedicta ſit dies et hora illa, qua Dominus noſter Jesus Chriſtus incarnari nasci, pati & mori pro nobis voluit, qua ſine labe concepta nata eſt, & in cælum aſſumpta Beatiſſima Virgo & Mater Dei Maria, qua ego indigniſſimus in album ſervorum & filiorum Dei & Mariæ inſcriptus ſum. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

ORATIONES MATUTINÆ.

In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti Amen.

Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diverſitatem linguarum cunctarum gentes in unitatem fidei congregaſti.

Emitte

Emitte Spiritum tuum & creabuntur,
Et renovabis faciem terræ.

ORATIO DOMINICA.

Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Amen

SALUTATIO ANGELICA.

Ave Maria gratia plena Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui Jesus Chriſtus. Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

SYMBOLUM FIDEI APOSTOLICUM.

Credo in Deum Patrem, omnipotentem creatorem cæli & terræ. Et in Jeſum

ſum Chriſtum Filium ejus unicum Do-minum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgi-ne, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus mortuus & ſepultus, deſcendit ad infe-ros, tertia die reſurrexit a mortuis; aſcen-dit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum; Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum; carnis reſurre-ctionem, & vitam æternam. Amen.

O R A T I O.

GRATIARUM ACTORIA AD DE-UM PATREM.

Omnipotens ſempiterne Deus, vita mea, omne bonum meum, & univer-ſa fœlicitas mea: ego terræ pulvis, mi-ſer vermiculus peccatorum omnium ma-ximus, mancipium rebelle, canis mor-tuus, putredo, foetor, ſto ante faciem tuam, te laudare, tibiq; gratias agere geſtiens. Sed quia hoc digne non poſ-sum, neq; quod Tibi offeram, habeo-offero Tibi omnium Angelorum & omni-um

um Sanctorum Sanctarumq; tuarum, virtutes, & merita, imo Christi Filii tui, & amabilissimæ Matris ejus dolores & labores defatigationes incommoda, ærumnas, & tristitias, & sanguineas guttas pro me effusas, denique passionem & mortem Christi Filii tui amarissimam pro innumera misericordiarum, beneficiorum, donorum multitudine, quæ mihi homini vilissimo, & abjectissimo tam liberaliter usque ad hanc horam contulisti, & adhuc confers. Desidero benignissime Domine, tu fac, ut quod desidero impleam, ut indissolubili Tibi vinculo gratiarum actionis, & amoris colliger, ut neque vita, neque mors possit me ad momentum a te separare & quidquid sum & possum quæcunque intra me, extra me sunt, & possunt, te colant, quærant, sitiant, ament, tibi serviant, placeant perpetuo ac perfectissime. Amen.

ORATIO

AD DEUM FILIUM.

Adoro, laudo, ac saluto te dulcissime ac benignissime Jesu Christe Fili Dei, vive unigenite, æternoque Patri con-

sub-

ſubſtantialis, Lumen de lumine & Deus verus de Deo vero, laudo, ac ſaluto dulciſſimum ac Divinum Cor tuum ex quo tanquam ex mellifluo gratiarum fonte omne bonum omnisque dulcedo effluxit, & effluit. Ex totis cordis mei viribus ago tibi gratias, quod me hac nocte cuſtodieris, Deoque Patri pro me laudes, & gratiarum actiones perſolveris. Et nunc o dulcis amor meus, offero tibi miſerum & indignum cor meum in ſacrificium matutinum, & omni qua poſſum devotione includo illud, & commendo Divino cordi tuo, rogans ut Divinas tuas influxiones illi infundere, atq; ſancto tuo amore accendere digneris. Amen.

ORATIO.

AD SPIRITUM SANCTUM.

O Amor æterne, o Spiritus conſolator, o donum, ſuper omne donum! En abyſſus miſeriarum invocat abyſſum miſericordiæ, ut malis meis remedium, vulneribus medicinam, & ſordibus lavacrum inveniam, lava quod eſt ſordidum, riga, quod eſt aridum, ſana quod eſt ſau-

cium. — Tu in principio mundi ſuper aquas ferebaris, ut informi rerum creatarum maſſæ vitam, & fæcunditatem inſpirares, poſtea autem majori longe prodigio per aquas baptismi vita, & fœcunditate gratiæ animam meam donaſti.

Verum ego vilis & jumentis ſimilis factus tuorum donorum pretium non agnovi abjeci gratiam illam, hæreditariis originalis peccati debitis nova ac propria adjeci, innatam fragilitatem adauxi; grave catenis meis pondus addidi, & vulnera mea exacerbavi, non mereor igitur, nec clementiam, nec veniam non mereor. Tu vero cujus liberalitas eo illuſtrior eſt, quo major eſt noſtra indigentia, ne deſeras miſellum, cui ſine te nihil omnino boni obvenire poteſt. Sine tuo numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium. Cumq; e maximis meis miſeriis ſit, ignorare meas miſerias, compatere cæcitati meæ, & uno lucis radio oſtende mihi quam miſerabilis sim in oculis tuis. Doce me, quis tuus ſit de me ſenſus, de meo nihilo, de pravis meis habitibus, de mea ignorantia, de mea fragilitate & de perverſitate mea. Beatum me, ſi hanc mihi gratiam feceris,

ris, ſine me videre lumen in lumine tuo. Confido me aliquando in cælum admittendum, ut ſanctitatis ac beatitudinis tuæ particeps, tibique æternum ſimilis fiam. Amen.

ORATIO.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM.

Sancta Maria Mater Dei, & Virgo ego N. N. te hodie in Dominam patronam, & advocatam eligo firmiterque ſtatuo, ac propono, me nunquam te derelicturum neque contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum neque permiſſurum, ut a meis ſubditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obſecro te igitur, ſuſcipe me in ſervum perpetuum. Adſis mihi in omnibus actionibus meis nec me deſeras in hora mortis meæ. Amen.

ANTIPHONA.

Salve Regina Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacry-

crymarum valle. Eja ergo advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens! o pia! o dulcis virgo Maria! Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filio tuo habitaculum officii mereretur Spiritu Sancto cooperante, præparaſti; da ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia interceſſione ab inſtantibus malis & a morte perpetua liberemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIO.

AD ANGELOS CUSTODES.

Sancti Angeli Dei, qui cuſtodes eſtis noſtri; nos vobis commiſſos pietate ſuperna hodie & quotidie illuminate, cuſtodite, regite, gubernate, ac docete nos exemplo veſtro omne id quod De-

us vult integre ſemper, ac promtiſſime implere, atque cum æquali ſemper gaudio resignatos nos vivere in omnem voluntatem Dei noſtri. Amen.

ORATIO.

AD OMNES SANCTOS.

Omnes Sancti, quos felici morte defunctos hodie felici æternitate donavit Deus, orate pro me. Omnes Sancti mei nominis & meæ patriæ ac Patroni mei menſtrui, orate pro me. Omnes Sancti, quibus ſacra eſt illa, quæ mihi nascenti prima fuit dies, orate pro me. Omnes Sancti, quibus eſt illa, quæ mihi morienti ultima erit dies, orate pro me. Omnes Sancti, nationis & conditionis meæ, orate pro me. Omnes ſancti & ſanctæ Dei, vos potiſſimum, qui in hac vita, maxime excelluiſtis in amore Dei, Tuque o Maria Mater agonizantium, orate pro omnibus hodie naſcentibus, & hodie in agone ſupremo periclitantibus, impetrate mihi a Crucifixo Jesu felicem mortem, beatam æternitatem. Amen.

ACTUS
VARIARUM VIRTUTUM SIMUL-QUE INTENTIO DIURNA.

Credo, ſpero, amo, adoro te pulcherrime, ac optime ſuper omnia Deus meus, & ideo de peccatis meis doleo ac deſidero plus dolere & confiteri, doleo ſuper omnia, quod te tam ingratus offenderim Deus meus —. In gratiarum actionem ac ſatisfactionem offero tibi hujus diei, ac vitæ meæ totius actiones atq; momenta ſingula, conjuncta omnibus guttis lacrymarum & ſanguinis Jesu omnibus meritis Jesu, Mariæ & omnium electorum tuorum, ut te videre, ac amare una cum illis merear in æternum. Amen.

MODUS
PIE AUDIENDI SACRUM
ORATIO PRÆPARATORIA.

O dulciſſime Domine Jesu Chriſte, aperi os meum, ac labia mea ad benedicendum & glorificandum nomen tuum, quod eſt ſuper omne nomen bene-

nedictum, mundaque cor meum ab universis malis, & perversis cogitationibus, ut te jugiter labia mea collaudent, mens meditetur, vita glorificet, anima benedicat. — Omnipotens æterne Deus, qui non ſemel tantum filium tuum unigenitum in Cruce noſtræ reparationi impendiſti, ſed ejus oblationem tibi acceptiſsimam in Eccleſia tua quotidie renovari ad ejus fructum in nobis renovandum voluiſti: tribue nobis quæſumus, tam admirando huic, & tam ſalutari tuæ pietatis myſterio, tam attente, reverenter, & amanter intereſse ut ejus participationem quam efficaciſſime conſequi valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

AD INTROITUM.

Te Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paracletum, Sanctam & individuam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus.

Gloria Patri, qui creavit nos,
Gloria Filio, qui redemit nos,
Gloria Spiritui Sancto, qui ſanctificavit nos.

Glo-

Gloria ſummæ & individuæ Trinitati Deo noſtro. Amen.

AD GLORIA IN EXCELSIS.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex celeſtis. Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Chriſte Domine Deus. Agnus Dei Filius Patris. Qui tollis peccata mundi miſerere nobis. Quoniam tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſsimus Jesu Chriſte, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

AD EVANGELIUM.

Domine Jesu Chriſte, qui Evangelium vivo ore prædicaſti hominibus, aperi, quæſo mentes noſtras, ut huic verbo tuo ſalvifico ſincera charitate ad finem usq; conſtanter adhæreamus. Amen.

AD CREDO

Symbolum Fidei Nicænum.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cæli & terræ, &

omnium rerum visibilium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine & homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cælos & sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & glorificatur, qui locutus est per prophetas, Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

AD

AD OFFERTORIUM.

Clementissime Pater, fac me dignum. ut offeram tibi merita vitæ, & mortis dilectissimi Filii tui. Et nunc ego in unione meritorum Domini nostri Jesu Christi offero tibi intellectum, voluntatem & memoriam meam, cogitationes, verba, opera, labores, gaudia, bona omnia, vitam denique & quid possideo, aut possidere possum per omnem æternitatem: idque per manus Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum Angelorum, qui huic Sacrificio adsistunt, ut Deo orationes & oblationes fidelium præsentent.

AD PRÆFATIONEM.

Omnipotens æterne Deus, quem unum in Trinitate, & trinum in unitate confitemur. Te laudo, Te adoro, Te glorifico. O beata Trinitas. Tu es summum bonum de quo manant omnia bona. Tu abyssus totius felicitatis, tu solus altissimus. Tibi ego cum universa Curia cœlesti concino Sanctus, Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloria tua.

AD SACRUM CANONEM.

Oratio pro Statu S. Ecclesiæ.

O Pater misericordiarum respice in faciem Christi Filii tui, qui clamore valido & lacrymis interpellat pro sponsa sua Ecclesia, Matre nostra. Ecce mi Pater profusus ille corporis sudor, horrendæ capitis spinæ, calidi fontes occulorum, clavi manuum & pedum livores & vulnera & vox sanguinis Fratris nostri Jesu Christi altius quam sanguis Abel clamat ad te de cruce. Audi o Pater! ad hujus suspiria & gemitus moti sunt cæli, scissi sunt lapides, & tenerrima misericordiæ tuæ viscera non flectentur? Protege & defende Pater clementissime populum tuum contra hostium ferociam. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne projicias in finem. Custodi omnes, Domine & conserva, qui te sincero corde & ore confitentur, ne a falsis prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces, seducantur. Coerce potentiam eorum, machinationes detege, & consilia adversus Ecclesiam tuam dissolve. Da Regibus & Prin-

Principibus Chriſtianis, & cunctis fidelibus tuis miſericors Domine, ut in vera pace, tranquilitate ac unione perpetuo amemus & laudemus te, ut doctrinam tuam augeamus, teque ad mortem usque conſtanter ſequamur. Amen.

AD ELEVATIONEM.

Ave verum Corpus natum ex Maria Virgine. Vere paſsum immolatum in Cruce pro homine. Cujus latus perforatum unda fluxit & ſanguine. Eſto nobis prægustatum in mortis examine, O! dulcis, o pie, o Jesu fili dulcis Mariæ miſerere nobis.

ADORATIO
SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Laudetur Sanctiſsimum Sacramentum, tot laudibus, quot Sanctiſsima Trinitas ſua omnipotentia depromere, ſua ſapientia concipere, ſua bonitate optare poteſt omni loco, omni tempore, nunc & ſemper & in ſæcula & ultra.

ANTE COMMUNIONEM.

Deus qui pro redemptione mundi voluiſti nasci, circumcidi, a Judæis reprobari

bari, a Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, ſicut agnus innocens, ad victimam duci, atque conſpectibus Annæ & Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, a falsis teſtibus accuſari, flagellis & opprobriis vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, lancea vulnerari. Tu Domine per has Sanctiſsimas pænas tuas, quas ego indignus recolo, & per Sanctam Crucem & mortem tuam, libera me a pænis inferni, & perducere digneris, quo perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

POST COMMUNIONEM.

Oratio S. Ignatii Lojolæ.

Anima Chriſti ſanctifica me, Corpus Chriſti ſalva me. Sanguis Chriſti inebria me. Aqua lateris Chriſti lava me. Paſſio Chriſti conforta me; O bone Jesu exaudi me: intra vulnera tua abſconde me: ne permittas me ſeparari a te,

ab

ab hoſte maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum ſanctis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum Amen.

SALUTATIO.
VULNERUM JESU CHRISTI.

Ad vulnus lævi pedis.

Ave vulnus lævæ plantæ,
Qua virtutum creſcunt plantæ,
Nos ab hoſte ſupplantante
Tu defende poſt & ante.

Ad vulnus pedis dextri.

Ave vulnus dextri pedis,
Pedem mentis pie lædis,
Dum ad eam ſæpe redis
Eſto nobis ſpes mercedis.

Ad vulnus manus lævæ.

Ave manus Chriſti læva
Perforata plaga ſæva
Nos ab omni malo læva
Quod cauſavit mater Eva.

Ad vulnus manus dextræ.

Ave manus dextra Chriſti
Perforata plaga triſti

Nos

Nos ad dextram jube ſiſti,
Quos per crucem redemiſti.

Ad vulnus lateris.

Ave latus perforatum
Unde fluxit flumen gratum,
Præbe nobis conducatum
Ad æternæ vitæ ſtatum.

ORATIO.

O Jesu Chriſte Fili Dei vivi & Deus vere, ex vulneribus tuis ſanguinem tuum elice, ex eoque fac mihi balneum, & in hoc balneo ablue me ab omnibus iniquitatibus meis, & omnibus donis gratiæ tuæ exorna me, & in vitam æternam induc me ad laudem & æternam gloriam excellentiſſimi nominis tui, Amen.

AFFECTUS

AD JESUM CRUCIFIXUM.

O Domine Jesu Chriſte, propter illam amaritudinem, quam in Cruce paſſus es, præcipue quando anima tua ſanctiſsima ex Diviniſſimo tuo corpore eggrediebatur, miſerere mei, nunc & in hora mortis meæ, Amen.

AFFECTUS.

AD BEATISSIMAM V. MARIAM.

O Nobilissima Filia æterni Patris, o Augustissima Mater Dei Filii, o pulcherrima sponsa Spiritus Sancti Maria Virgo propter illos dolores, quos in passione Domini nostri Jesu Christi Filii tui pertulisti, & filius tuus pro nostra salute passus est, impetra mihi a Patre & Filio et Spiritu Sancto hanc gratiam, ut tibi et filio tuo compatiar et ut tecum & Filio æternum gaudeam in regno æterno. Amen.

SALUTATIO

BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Gaude, Deipara Virgo Maria gratia plena, quia concepisti secundum carnem Filium Dei.

Gaude, quia eum in utero tuo portasti.

Gaude, quia eum genuisti.

Gaude, quia eum uberibus Virgineis lactasti.

Gaude, quia eum Reges adorabant.

Gaude, quia Christum in templo post tres dies invenisti,

Gau-

Gaude, quia Christus resurrexit, a mortuis, & in cælum ascendit.
Gaude, quia tu in cælum assumpta fuisti.
Gaude, quia tu Virginitate Angelos, & gloria Sanctos superas.
Gaude, quia tibi cælestes incolæ obsequiosi sunt.
Gaude, quia tu quodcunque vis, apud filium tuum Christum Deum nostrum impetrare potes.
Gaude quia digna facta es sedere secundum Sanctissimam Trinitatem.
Gaude, quia tu es mater afflictorum, ad te confugientium.
Gaude, quia tecum gaudium æternum durabit.
Gaude Maria gratia plena Dominus tecum, & per te nobiscum. Amen.

Laus cum prole pia, tibi sit semper Virgo Maria.

AD BENEDICTIONEM SACERDOTIS.

Benedicat nos Omnipotens Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

ORA-

ORATIONES DIURNÆ

Ante quodvis Opus.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Veni Sancte Spiritus reple tuorum Corda fidelium &. Ut supra.

OREMUS.

Mentes nostras, quæsumus Domine lumine claritatis tuæ illustra, ut videre possimus, quæ agenda sint, & quæ recta sunt, agere valeamus, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio a te semper incipiat, & per te cepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Pater noster. Ave maria &c.

Domine Deus Pater cælestis benedic nobis, & his donis, quæ de tua

lar-

largitate ſumimus, per Jesum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

GRATIARUM ACTIO

Poſt Cibum Sumptum.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Qui dat eſcam omni carni, qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Gratias agimus tibi, Domine Deus Pater, per Jesum Chriſtum Dominum noſtrum pro univerſis beneficiis tuis, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Pater noſter. Ave Maria &c.

ACTUS

VARIARUM VIRTUTUM.

Actus Fidei.

Omnipotens æterne Deus, credo quod ſis, & quod juſtos vitæ æternæ præmiis re-

remuneraturus, impios vero æternis inferni ſuppliciis addicturus ſis. Credo omnia, quæ revelaſti de tua unitate & Trinitate: de Incarnatione verbi Divini: de Sacramentis, de Eccleſia, ejusque capite Pontifice Romano: de cultu ſanctorum. Credo animam hominis eſſe immortalem. Credo gratiarum Dei eſſe neceſſariam ad quodvis opus meritorum vitæ æternæ. Credo Mariam Virginem Genitricem Dei eſſe, quæ Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum fuit. Credo Immagines Chriſti Domini, Deiparæ ſemper Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum colendas, ac venerandas. Credo purgatorium eſſe, animasque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Credo omnia quæcunque revelaſti, & per Sanctam Eccleſiam Catholicam, quæ in rebus fidei & morum infallibilis eſt, ad credendum propoſuiſti, quia tu Domine Deus neque falli, neque fallere potes. O Domine adauge nobis fidem.

Actus Spei.

O Domine Deus meus omnem ſpem meam in te colloco. Spero te mihi ex im-

immenſo bonitatis tuæ theſauro, ex viſceribus infinitæ miſericordiæ tuæ & ex inexhauſto mari meritorum vitæ, paſſionis, ſanguinis & mortis Domini noſtri Jesu Chriſti, daturum remiſſionem omnium meorum peccatorum et ex iisdem thesauris bonitatis tuæ, ac meritorum pretioſiſsimi ſanguinis Domini noſtri Jesu, te mihi largiturum gratiam, qua habita ea omnia præſtem, quæ tu a me fieri vis, in ordine ad obtinendam vitæ æternæ gloriam. O Jesu ſis mihi Jesus: dic animæ meæ; ſalus tua ego ſum, mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Deus meus & omnia. O Domine robora ſpem meam.

ACTUS AMORIS

ERGA DEUM ET PROXIMUM.

Omnipotens, omnisciens, omnigenæ bonitatis Domine Deus præſentiſſime Domine, ſummum bonum, quo nihil melius cogitari poteſt, pulchritudinis fons, & origo omnium rerum creator & conſervator in quo vivimus, movemur, & ſumus: Adoro te, laudo, benedico, amo te ſuper omnia creata ex to-

to corde, ex tota anima, ex totis viribus meis. Amo te, toto me, imo cupio amare te toto te. Et quot ſunt momenta temporis & æternitatis; quot ſunt athomi cæli & terræ, quot ſunt actiones hominum omnium & Angelorum omnium animalium, & rerum inanimatarum & ſi eſſent millena millia mundorum, & ſi hæc omnia multiplicarentur per omnes numeros poſſibiles tot volo habere corda amantia te toto me, imo amantia te toto te, propter te, & proximum meum ſicut me ipſum propter te, Fiat fiat o Domine o Pater luminum da mihi veram charitatem, omne enim donum perfectum deſcendit deſuper a te.

Actus Contritionis.

Doleo ex toto corde de omnibus peccatis meis quomodocunque commiſſis contra te ſummum bonitatis & ſanctitatis Oceanum. Ita doleo de peccatis meis amore tui mi Deus, ut velim ſanguine meo redimere tempus, quo peccavi, ut non pecaſſem. Doleo quod tu amor meus ab aliis non amaris. Propono per gratiam tuam & eligo millies mori, quam te vel leviſſime offendeie. Proteſtor co-

ram

ram te, quod in omnibus actionibus meis nihil aliud intendere tota vita mea volo, nisi solum purum honorem, gloriam, amorem & beneplacitum tuum. O Domine firma hæc omnia in me potentissima gratia tua.

ORATIONES VARIAE

ORATIO.

In tentationibus dicenda.

Sit coram Domino, Cor meum & corpus immaculatum. Obsecro te Domine Jesu Christe, ut passio tua sit virtus mea, qua muniar, protegar & defendar. Vulnera tua sint mihi cibus, & potus quibus pascar, inebrier, & delecter. Aspersio sanguinis tui sit omnium peccatorum meorum plena remissio. Mors tua sit mihi vita, & gloria sempiterna, In his sit mihi exultatio, sanitas, studium, desiderium corporis, & animæ. Amen.

ORATIO PRO IMPETRANDA IN BONO PERSEVERANTIA.

Deus, qui nos a vanitate sæculi liberatos sub alis Sanctissimae Matris Filii tui constitutos, ad bravium supernæ vocatio-

cationis accendis, pectoribus noſtris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in tuo, & ejusdem Sanctisſimæ Virginis Mariæ ſervitio perſeveremus, infunde, ut protectionis tuæ muniti præſidiis quæ te donante concepimus, impleamus, & noſtri propoſiti executores effecti, ad ea quæ perſeverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIONES AD BEATISSIMAM
pro impetrandæ felici morte.

Per Sanctam Virginitatem, & immaculatam conceptionem tuam puriſſima Virgo Maria emunda Cor & Carnem meam. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ave Maria &c.

O Domina mea Sancta Maria ſicut Deus Pater per omnipotentiam ſuam, te potentisſimam effecit, ita mihi quæſo adſis in hora mortis expellendo omnem contrariam poteſtatem. Ave Maria &c.

O Domina mea Sancta Maria, ſicut te Filius Dei tanta ſui cognitione

& claritate dignatus eſt, ut totum cælum illuminares, ita in hora mortis animam meam cognitione fidei ſic illuſtres & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur. Ave Maria &c.

O Domina mea Sancta Maria, ſicut ſpiritus Sanctus ſuum Amorem, tibi plenę infudit, ita tu in horâ mortis dulcedinem Amoris divini mihi inſtilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur ſvaviſſima. Sanctiſſima Dei Parens Virgo Maria per acerbiſſimæ Paſſionis Jeſu Chríſti Filii tui merita te ſupplex rogo, ut ſi forte hodie vel hac hora me mori contigerit, mei memineris.

HYMNUS

De SS. Anna & Joachim.

Anna Parens Sanctiſſima,
Sancto beata Conjuge,
Sacratior es Filia,
Nepote Sacratiſſima.
Sanctis atavis Joachim
Felix, & Felix conjuge,
Sed filia felicior,
Nepote feliciſſime.

Maria Virgo virginum,
Virgo Parentum gloria,
Gloriosa virtutibus,
Gloriosior gratia,
Honor æternæ gloriæ,
Mater summæ clementiæ,
Universorum Domina,
Adsis nobis propitia,
Morbos pelle, fuga pestem,
Debella hunc regni hostem,
Et quod vovisti Fratribus,
Da gratiam sodalibus.
Alma Genitrix faveto
His, qui canunt corde læto,
Laudant Joachim sobolem,
Venerantur Annæ Prolem.
Jesu nobis dulcissime,
In tuæ Matris gratiam
Et per avorum merita
Da veniam, da gloriam.
Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine
Cum Patre & Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.

℣. Ora pro nobis Sancta Anna.
℟. Ut digni efficiamur promisssionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui Beatæ Annæ tantam gratiam donare dignatus es, ut Beatissimam Virginem Mariam matrem tuam in utero suo portare mereretur, da nobis per intercessionem Matris & Filiæ tuæ propitiationis abundantiam, ut, quarum memoriam pio amplectimur amore, earum precibus ad cælestem Jerusalem pervenire mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sancta Anna, quæ semper regnas cum Angelis, nunc nostri sic memor esto, ut tuo mereamur sociari consortio.

AD SANCTUM DISMAM.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur.
A modo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.

O Dismа latro pænitens,
Lectissime Patrone,
Sis mihi tutor moriens,
Dum luctor in agone.

AD SANCTUM JUDAM THADDAEUM.

℣. Sancte Juda Thaddæe ora pro me.
℟. Et omnibus, qui colunt te.

ORATIO.

Gloriosi Christi cognate Apostole & Martyr Sancte Juda; qui vastissimis in regionibus fidem efferatis gentibus disseminasti, virtutibus, ac miraculis clarus innumerabiles filios Jesu Christo peperisti: per illum, qui te sibi Apostolum adscivit, precor, ut me miserum a consvetudine peccatorum meorum abstrahas, a cogitationibus immundis me tuis meritis præserves, & in rebus desperatis tuo mihi adsis patrocinio, ac tandem ad invisibilem gloriam tuis precibus evehas, ubi Sancta Trinitas adoratur in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Amen.

AD SANCTAM VIRGINEM

Barbaram Patronam felicis mortis.

ORATIO.

O Sanctissima Virgo Barbara quodcunque Sponsi tui viribus potes, mihi

in

in mortis articulo, obſecro ut ſuppedites. Adjuva me miſerum, ne in peccatis moriar. Effectum habeat tunc tua intercesſio, primitus a Chriſto tibi facta promisſio cum fidem ejus tuo ſanguine conſecrares. Redeat in memoriam Sponſo tuo virgineus collo tuo exuberans ſanguis, recordetur ardentisſimæ tuæ charitatis, nec Animam meam a Corpore exire permittat, niſi confesſione expiatam & Sanctisſimo Euchariſtiæ Sacramento refectam. Nam, ſi in quo beneficio glorificaris, in hoc maxime quod omnis ſpem in tuo patrocinio habens, & ſemper te in auxilium invocans a repentina & improviſa morte effugiet. A qua & me miſellum libeta tuis precibus Magna Martyr Barbara, & potenti oratione tua dignum me fac ad dextram Filii Dei cum Benedictis ſtatui, & audire vocem jucundisſimam: Euge ſerve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Amen.

ORATIONES PRO CHRISTI *fidelibus agonizantibus.*

ORATIO I.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. Ave Maria &c.

Domine Jeſu Chriſte deprecor te per tuam Sanctam agoniam atque devotisſimam orationem, quam in monte Oliveti oraſti, quando, factus eſt ſudor tuus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, & eundem ſudorem ſanguineum, quem præ timore mortis tam copioſe fudiſti, cæleſti Patri tuo offerre & oſtendere digneris contra multitudinem peccatorum fidelium hodie agonizantium. Et velis eos in hora obitus eorum liberare ab omnibus anguſtiis & pænis, quas pro peccatis ſuis ſe timent meruiſſe.

ORATIO II.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. Ave Maria &c.

Domine Jeſu Chriſte, qui pro ſalute mundi in dura cruce mori dignatus es, deprecor te, ut amaritudinem il-

lam,

lam, quam in eadem ſuſtinuiſti, præſertim quando ſacratisſima Anima tua eggreſſa eſt de benedicto corpore tuo, cæleſti Patri offerre & oſtendere digneris pro fidelibus hodie agonizantibus, eosque in hora obitus eorum liberare ab omnibus pænis & cruciatibus, quos pro peccatis ſuis ſe timent meruiſſe. Amen.

ORATIO III.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. Ave Maria &c.

Domine Jeſu Chriſte, qui per Prophetam tuum dixiſti, in Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui, rogo te, ut amorem illum, qui te de cælis ad terram ad patiendam omnem miſeriam traxit, Cæleſti Patri tuo offerre, & oſtendere digneris pro fidelibus hodie cum morte luctantibus, eosque liberare ab omnibus pænis & cruciatibus, quos pro peccatis ſuis ſe timent meruiſſe. Adſis eis pie Jeſu in hora obitus eorum, aperi eis januam vitæ, & perduc animas eorum in paradiſum exultationis, ubi te laudent per infinita ſæcula. Amen.

ORA-

ORATIO PRO DEFUNCTIS.

Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere te ſupplices exoramus pro animabus fidelium defunctorum præcipue cognatorum, propinquorum, & amicorum noſtrorum quibus adhuc in purgatorio aliquid luendum ſupereſt, ut eas Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuum beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
Et fidelium Animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

ORATIONES VESPERTINAE.

In nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen. Pater noſter. Ave Maria. Credo &c.

ORATIO GRATIARUM

Actoria.

Omnipotens æterne Deus, ago tibi gratias pro omnibus mihi collatis beneficiis,

ciis, & imprimis quod ad imaginem tuam me creasti, quod immensis laboribus, & doloribus ex inferni faucibus eripuisti, quod in hanc usque præsentem horam ab innumeris periculis me præservasti, quod vitam æternam, si morem præceptis tuis gessero, largiri paratus es.

ORATIO PETITORIA LUMINIS.

Illumina quæso Domine meum intellectum, ut videam & cognoscam quidquid hodie cogitando, loquendo vel operando peccavi. Et deprecor te per Passionem & mortem tuam, ut illud digneris mihi homini peccatori clementer ignoscere.

ADMONITIO.

Agnitis peccatis tuis, elice actum contritionis, & dic Psalmum 50.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo, munda me.

Quo-

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas & impii ad te convertentur.

Libe-

Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ: & exaltabit lingua mea juſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Syon: ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Gloria Patri &c.

Tum ſubjunge.

PROPOSITUM EMENDATIONIS.

Peccavi Domine, doleo ex amore tuo o Deus, & propono cum tua gratia vitam meam emendare, pro admisſis culpis pænitentiam agere, & te ſolum Deum meum in omnibus vitæ actionibus quærere. Oro etiam, ut ſi hac nocte velis me hinc abſcendere, agas me-

mecum pro tua misericordia clementer. Sin vero diutius vitam prorogare decrevisti, gratiam largiaris sobrie juste & pie vivendi in hoc sæculo ad laudem & gloriam nominis tui. Amen.

Hic possunt orationes omnes pro impetranda felici morte commodissime dici. Item Psalmus 90. Qui habitat, in adjutorio altissimi; in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino: susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium; & a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verum tamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quo-

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altisſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorifieabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum. *Tum pro defunctis. Pſalmus* 129.

De profundis clamavi ad te, Domine:

Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine, quis ſuſtinebit.

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Speravit anima mea in verbo ejus: Speravit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina usque ad noctem: ſperat Israel in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

AD SANCTOS ANGELOS.

Congratulamini nunc omnes angelorum chori, qui gaudetis unanimi gaudio ſuper uno peccatore pænitentiam agente; Pænitentiam agam, & amplius non peccabo. Asſiſtite mihi, concivem efficite me, aſcendat in conſpectu veſtro propoſitum emendationis, & deſcendat auxilium divinum ſuper me, & maneat ſuper me ſemper. Amen.

AD OMNES SANCTOS.

Glorioſi victores, de veſtra ſalute ſecuri, juvate me militantem, in hac militia

litia ſuper terram, ut corpus meum caſtigem, & in ſervitutem redigam: ne Princeps tenebrarum, in vinculis ferreis, pedes, & manus meorum affectuum, & operum, rapiat in tenebras exteriores: cogitate me membrum eſſe veſtrum, juvate me, ut capiti noſtro, quod eſt Chriſtus conjungar. Amen

Aſpergens te aqua benedicta dicito: Aſpergens me Domine hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

DUM LECTUM INGREDERIS.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Crucifixi cubitum eo, ille me benedicat, regat, cuſtodiat, & ad vitam perducat æternam. Amen.

ASPIRATIONES PIAE IN LECTO.

Jeſus, Maria, Joſeph dulcisſimi mei amores, vobis commendo corpus & animam meam, & finem vitæ meæ, & totam meam æternitatem. Jeſus, Maria, Joſeph. Jeſus, Maria, Joſeph.

O Pater æterne in manus tuas commendo ſpiritum meum.

O Fili unigenite in manus tuas commendo ſpiritum meum.

O Spiritus Sancte Paraclete in manus tuas commendo ſpiritum meum.

O Mater Dei, & Mater mea, in manus tuas commendo ſpiritum meum.

O Mater Dei ſis mihi Mater, nunc & in hora obitus mei.

Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Deipara in adjutorium meum intende. Domina ad adjuvandum me feſtina.

Sancti Angeli Cuſtodes, Sancte Patrone cujus nòmine inſignior, & omnes Sancti intendere dignemini pro Animæ meæ ſalute.

Signando frontem & pectus, dicito.

Per Signum Sanctæ Crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter.

Pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, virtus ſacratisſimæ ejus Pasſionis.

Titulus triumphalis: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. Integritas Beatisſimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum tribulationes, & merita, ſint in-

ter me, & inimicos noſtros. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Sit coram Domino cor meum & corpus immaculatum. Gloria Patri, & Filio & Spiritui S.

Donec obdormias cogita myſteria Pasſionis Chriſti Domini.

SALUTATIO

BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE

Deiparæ ex piis Auctoribus collecta.

Ave nobilisſima Filia Dei Patris. Ave Auguſtisſima Mater Dei Filii. Ave dulcisſima ſponſa Spiritus Sancti Paracleti. Ave candidum lilium fulgidæ, ſemperque tranquillæ Trinitatis. Ave roſa fulgidæ cælicæ amœnitatis, de qua naſci, & de cujus lacte paſci Rex cælorum voluit. Ave templum Sanctisſimæ Trinitatis. Ave ex omnipotentia Patris. Ave ex Sapientia Filii. Ave ex dulcisſima bonitate Spiritus Sancti, Maria illuminans Cælum & terram, gratia plena Dominus tecum unicus Dei Patris genitusque virginei cordis tui Filius dulcisſimus Sponſus & amicus

tuus,

tuus, benedicta tu in mulieribus, quæ repulisti Evæ maledictionem & reportasti æternam benedictionem, benedicta sit S. Anna Mater Tua, ex qua sine macula originalis peccati caro tua processit.

Virginea, & benedictus fructus ventris tui Jesus Christus Dominus, & Creator tuus & omnium, omnia ditans & vivificans, omnia benedicens & sanctificans, replens sui & tui amore te diligentes. Sancta Maria immaculate concepta, in utero beatæ Annæ sanctissimæ Genitricis tuæ ducentos septuaginta dies portata, & in nativitate tua universo mundo lætitiam annuntians Mater Dei & Mater nostra divinis influxibus animas nostras pasce, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & sicut omnibus Amatoribus & Amatricibus tuis & Filii tui promisisti, adsis in hora mortis nostræ. Amen.

AD M. D. G. Bq; V. M. M. DEI. H. & OO. SS.
Cultum ac Venerationem.


INDEX

Rerum in hoc libello contentarum.

Ora-

INDEX.

INDEX.





E 424572

